

### De Tarpeiae fabula.

Quae in huius Musei novissimo volumine<sup>1)</sup> de Tarpeiae fabula exposuit A. H. Krappe quamvis sagaciter et enucleate videantur esse prolata, non desunt quae si non corrigenda, at aliis iisque lucidioribus fabularum de rivulis existimari derivanda. Ac primum quidem secundum Ovidium<sup>2)</sup> et Dionysium<sup>3)</sup> Tarpeii filia anulis aureis, hostes quos in bracchiis gerunt, ad arcem tradendam instigatur. Explanatior, sed eadem posterioris originis altera fabulae configuratio teste Propertio<sup>4)</sup> mihi videtur ad similitudinem de Scylla et Niso compositae aliarumque narratiuncularum expressa esse, ita ut, quae illam a ceteris insigniter discernant fabellis, quasi evulsa vel erosa videantur, velut quae de anulis aureis ibi extant. Amorum quippe *μυθολογούμενα* magis arridebant lectoribus quam fabularum singulariter et specialiter traditarum mera antiquitas. Tamen maxime interest ad origines fabulae et notionem indagandam inveterata eiusmodi unice *μυθολογούμενων* vestigia explicare. Significantur enim et adumbrantur talibus imprimis rebus, quaenam insint narrationi illi temporis antiquissimi testimonia. Consentunt cum illis quodammodo quae affert Krappe<sup>5)</sup> ex Clitophonte, Brennum Gallorum regem Ephesum cum obsideret, Demonicam adamasse Ephesiam virginem. Illa autem urbem proditura erat, ἐὰρ τὰ ψέλλα καὶ τὸν κόσμον τῶν γυναικῶν δῶρον αὐτῆς. Illum autem milites iussisse quidquid secum haberent auri conicere in virginis sinum, quo onere illam obrutam periisse. Apparet similitudo; negleguntur dumtaxat anuli. At hi ipsi maxime premendi sunt; Clitophontem autem iam parum intellexisse quid sibi voluerint fabulae auctores elucebit, ubi explanata nobis erunt, undenam anuli aurei Etruscorum in fabellam priscam insinuati videantur.

Etenim ex aliquot annis habemus cur narrationum mythicarum apud gentes antiquas rationes a viris doctis perperam explicatas et enodatas esse credamus. A ventis enim, a numinibus quibusdam incertis vagisque, a nubibus vel a tonitru ac fulgure earum origines deduci volebant, qui omnes toto caelo errasse videntur, ex quo tempore Ernestus Siecke, summa animi acritate vastaque eruditione vir, satis demonstrasse videtur, non in terrae planicie, sed in siderum gyro, in caelo, astrorum sede micantium verum narrationum illarum fontem vel radicem insidere<sup>6)</sup>. Cuius libros quisquis accura-

<sup>1)</sup> Rhein. Mus. 78, 249 ff.

<sup>2)</sup> Fast. I 261 sqq.

<sup>3)</sup> A. R. II 38.

<sup>4)</sup> IV 4; cf. M. Rothstein ad l.

<sup>5)</sup> I. c. 254 sqq.

<sup>6)</sup> Cf. E. Siecke, Mytholog. Briefe; Götterattribute u. sog. Symbole; de Niso et Scylla; Indogerman. Mythologie. Leipzig 1924.

tius perscrutatus erit, recte illum iudicasse facile perspiciet. Plura ibi allata sunt quae adumbrentur hoc loco. Unum premit et urget ille assiduo meritoque, multarum rerum mythicarum quasi medullam intimam esse sidus illud mobilissimum telluri proximum, facie varia et mutabili insigne; lunam dico. Multis ille fabularum varietatibus pro certo contendit lunae modulationes multifariam immutatas modo auctas, modo dimidiatas vel ad hemicyclii tenuitatem reductas fabularum quarundam proprietate exprimi. Ipse quoque, ni fallor, anulos illos Tarpeiae mortiferos lunae dixit significare circinos vel plenilunium et altercationem et mutuationem nigri ac splendentis orbis. Longum est quae hic attinent exponere prorsus, de quibus Siecke multus est. Quodsi de Niso et Scylla referens lunam restitutam vel redivivam Nisi regis capillo aureo exprimi censem, multis quas affert Krappe fabulis repetuntur minima rerum varietate, in quibus idem illud sidus significari persuasum habet. Magis autem magisque recentem hanc de fabulis sidereis disciplinam in virorum doctorum animos pedetemptim insinuari admodum videtur sperandum.

Berolini.

C. Fries.

**Berichtigung.**

In meinem Aufsatz Jahrg. 1928 S. 144 Anm. 1 sind leider versehentlich ein paar Worte ausgefallen; es muss daselbst Z. 4 v. u. heiessen: „wie *gewiss nur ausnahmsweise* das tyrrhenische Meer“.

Saarbrücken.

U. Hoefer.